

# FRANCISCUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto filio **Alexandro Gizaudo**, e clero acchidioecesis metropolitanae Taurinensis ibidemque hactenus Vicario Generali, in eadem ecclesiali communitate electo Episcopo Auxiliari simulque titulo Castraseverianensi exornato, salutem et Benedictionem. Qui ad instar nostri Domini iam tenati sumus et utique a Deo adoptati in filios, imaginem totam tota similitudine nostri portemus auctoris in Ecclesia et in conversationibus nostris, non maiestate, qua solus est, sed innocentia, simplicitate, mansuetudine, patientia, humilitate, misericordia, concordia, qua dignatus est nobis fieri et esse communis ~ cfr s. Petrus Chrysologus, Sermo 117, Christi praeceptorum observantia erudiri satagentes. Quae proinde servantes uti officii Nostri fundamentum, dum ad onerosa catholicae Ecclesiae officia propense intendimus, ad dilecti Nobis gregis Taurinensis necessitates mentem Nostram flectimus, cuius sacrorum Antistes, Venerabilis Scater Robertus Repole, nuperrime expetivit, ut sociatae operae vitae dioecesanae moderandae frui posset subsidio. De te ergo, dilecte fili, cogitamus, qui in laboribus tuis pastoralibus exercendis cordis et intellectus dotes ostendisti, quae idoneum te efficiunt ad hoc munus obeundum. Proinde, audito consilio Dicasterii pro Episcopis, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, harum Litterarum virtute, te Episcopum Auxiliarem in ecclesiali communitate metropolitana Taurinensi constituimus, episcopali addito titulo **Castaseverianensi** ac debitis concessis iuribus congruisque impositis obligationibus huic officio adnexis. Ordinationem episcopalem ubivis extra Urbem, servatis liturgicis normis, a catholico Episcopo suscipere poteris; tuum autem antea erit fidei professionem dare et iusiurandum fidelitatis erga Nos Successoresque Nostros, ad ecclesiasticae legis normas. Dum te, dilecte fili, ad hoc tam episcopalem navitatem tuam in concordia unitate cum huius Ecclesiae Pastore perficere, Deum deprecamur, qui praestet te populum verbo exemploque docere, ut et devotam gerat voluntatem et egenis sincero corde serviat ~ cfr Misale Romanum, dom. XXIX per annum: collecta. Datum Romae, Laterani, die altero et vicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri decimo.

Franciscus

Franciscus Ser. Pet. Apost.

